



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCIX. An cogitationes, & affectus cordis nostri ab Angelo propria
virtute certo cognoscantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tis, quantum ad quantitatem gratiæ & gloriæ, repræsentabit claritas corporis. Et sic vnus mentem alterius videre poterit.

Ad secundum dicendum, quod et si vnus angelus species intelligibiles alterius videat per hoc, quod modus intelligibilium specierum secundum maiorem & minorem vniuersalitatem proportionatur nobilitati substantiarum, non tamen sequitur quod vnus cognoscat, quomodo alius illis intelligibilibus speciebus vitur actualiter considerando.

Ad tertium dicendum, quod appetitus brutalis non est dominus sui actus, sed sequitur impressionem alterius causæ corporalis, vel spiritualis. Quia igitur angeli cognoscunt res corporales & dispositiones earum, possunt per hæc cognoscere quod est in appetitu, & in apprehensione phantastica brutorum animalium, & etiam hominum secundum quod in eis quandoque appetitus sensitiuus procedit aetum sequens aliquam impressionem corporalem, sicut in brutis semper est. Non tamen oportet, quod angeli cognoscant motum appetitus sensitiui, & apprehensionem phantasticam hominis, secundum quod mouentur à voluntate & ratione: quia etiam inferior pars animæ participat aliquam rationem: sicut obediens imperanti, ut dicitur in 1. Ethic. Nec tamen sequitur, quod si angelus cognoscit quod est in appetitu sensitiuo, vel phantasia hominis, quod cognoscat id quod est in cogitatione vel voluntate: quia intellectus & voluntas non subiacent appetitui sensitiuo & phantasiæ, sed potest eis diuersimode vti.

CONCLUSIO est, Cogitationes & affectiones cordium, ut sunt in intellectu, & voluntate, non possunt ab Angelo naturali ipsius virtute cognosci, sed à solo Deo. Circa hunc articulum non solum ea, quæ ad ipsum pertinere videntur, examinanda sunt: sed etiam omnia, quæ spectant ad questionem 107. de locutione Angelorum, quod huic articulo connexa sunt. Primo autem loco tractabimus ea, quæ Sanctus doctor in hoc articulo docet.

DISPUT. CCIX.

An cogitationes & effectus cordis nostri ab Angelo propria virtute certo cognoscantur.

Cogitationes cordis, & volitiones cognosci ab Angelo, non solum quid sint, sed etiam circa quid sint, senserunt Hieronymus, & Durandus. cap. 1.

Secreta cordium sola Dei voluntate impediunt ab Angelis non cognosci, dixerunt Scotus, & alij. cap. 2.

Communem sententiam, quæ assertit, secreta cordium non posse ab Angelis suapte natura cognosci, à Thoma de Armentina & Algilio explicatur. cap. 3.

ARTIC. IV.

Secundus & tertius modus, quo prædictam communem sententiam explicat Hieronymus. cap. 4.

Quartus modus explicandi eandem communem sententiam ex S. Thoma, Alexandro, & alijs prædictis ratione Ricardi. cap. 5.

Eandem modum defendendi communem sententiam aliter probant Sanctus Thomas, Caietanus, & Ferrariensis, quem impugnant Scotus, & Durandus. cap. 6.

Rationi Durandi respondet Ferrariensis. cap. 7.

Eidem rationi Durandi respondet Caietanus. cap. 8.

Communem sententiam alia ratione confirmat Gregorius. cap. 9.

Iudicium auctoris in presenti controversia. cap. 10.

CAPVT I.

Cogitationes cordis, & volitiones cognosci ab Angelo, non solum quid sint, sed etiam circa quid sint, senserunt Hieronymus & Durandus.

PRESENS controuersia non modo intelligenda est de actionibus voluntatis, sed etiam de cogitationibus intellectus, utraque enim nominis cognitionis cordis nunc intelligimus. Loquimur etiam non solum de cogitationibus cordis Angelici, sed etiam humani, & inquirimus an possit vnus Angelus cognoscere secretas cogitationes cordis alterius Angeli, aut hominis, antiquam voluntate ipsius Angeli, aut hominis, manifestentur. In qua quidem quaestione vique adeo varia sunt Theologorum placita, ut vix similitudine singula recensere possimus. Verum, ut rem hæc elucidemus, necesse erit non solum quid nobis probeatur, sed etiam quid ab alijs dicatur persequi.

Prima igitur opinio sit Hieronymi 2. dist. 3. quæst. 3. assertantis cogitationes cordis nostri, aut vnus angeli posse ita ab alio Angelo cognosci, ut manifestum illi sit, non modo quid sint illæ cogitationes, sed etiam circa quid sint, hoc est, circa quod obiectum versentur: vtrum etiam sint per modum fugæ, an prosecutionis, affirmationis, negationis: solum vero vni angelo occultum esse, & discerni ab eo non posse circa quod obiectum affectus & cogitatio alterius angeli, aut hominis magis intensè feratur. Vnicuique autem est huius sententiæ, & sequentis fundamentum, videlicet quia cogitationes & affectus cordis sunt quedam entia naturalia, non aliter, quam substantia ipsiusmet Angeli, imo multo inferiorem rationis: quod ergo obstat potest, quo minus ab vnoquoque angelo, qui substantiam alterius perficit intrinsece, cognosci & intelligi certissime possint, etiam si non manifestentur.

Huius sententiæ meminit Durandus in eadem dist. quæst. 5. num. 10. & eam non solum probabilem putat, sed etiam addit, cogitationes, & affectus vnus angeli, aut hominis ab alio angelo omnino cognosci. Primum quid sint: deinde circa quid versentur, per modum fugæ, an prosecutionis, affirmationis, aut negationis, postremo circa quod obiectum homo, aut Angelus intus operetur. Censet enim non posse rationem assignari, ob quam cum angelus cognoscat cogitationes & affectus cordis, quid sint, & circa quod obiectum, per modum affirmationis & negationis versentur, cognoscere non possit etiam circa quid intentus operetur: cumque iussit eum existimare esse rationem superius aliam, ut ab eo

gelus dicitur cognoscere affectus & cogitationes eo modo, quo dicebat Hieronymus, conuictus fuit, ut ascereret, affectus & cogitationes omnino ab angelo cognosci.

Hæc sententia utroque modo intellecta manifestis Scripturæ, & Patrum testimonijs aduersatur. Primum quidem Scriptura plane indicat, solius Dei esse cogitationes cordis cognoscere, Psalm. 7. *Scrutans corda, & renes Deus, Sapient. 1. Quia renum illius (scilicet hominis) testis est Deus, & cordis illius scrutator.* Hierem. cap. 1. *Probus renes & corda.* Quod si omnibus angelis manifesta essent corda hominum, aut ipsorum angelorum inuicem, non adduceretur Scripturæ encomium hoc tanquam aliquid magnum & proprium ipsius Dei. At dicat aliquis, hoc encomium ita Deo tribui, ut etiam angelis conueniat, sicut illud Psalmi 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quibus verbis videtur Propheta Dominum hominibus solum præferre. Ceterum eo Psalmi aliquid etiam peculiare Deo tribuitur. Cum enim dicitur, *& omnibus eis nomina vocat*, non solum denotat Scripturæ perspicuam Dei intelligentiam, quæ omnia sidera certo numero comprehendit, & eorum naturam ita penetrat, ut nomina illis indere possit, ipsorum proprietates & naturas exprimentia: sed etiam ita singula sidera à Deo vocari, ut eius nutui & voluntati pareant. Tum etiam sunt alia loca Scripturæ, quibus aperte dicitur, solius Dei esse cogitationes cordis cognoscere. Hierem. 17. *Præuim est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscat illud, quod si angelus eodem modo cognoscere posset, frustra inquireret, quis cognoscat illud?* nec respondisset Scriptura, *Ego Dominus.* Et 2. Paralipomenon. 6. cum Salomon deprecaretur Deum, ut exaudiret venientes ad templum sanctum, quod edificauerat, dixit: *Tu exaudias de celo, &c. & propitiare, & redde vnicuique secundum vias suas, quas noscitur habere in corde suo: tu enim solus nosti corda filiorum hominum.*

Sed respondet Durand. q. illa citata num. 6. proprium esse Dei, ut cognoscat omnes cogitationes eorum præfentes, & futuras: id quod nulli conuenit creaturæ. Responso tamen friuola est. Nam Scriptura aperte loquitur de cogitationibus etiam præfentibus: cum enim Salomon dixit 2. Paralip. 6. *Tu enim solus nosti, &c. loquebatur de cogitationibus eorum, qui oraturi erant in templo.* Perit autem ut reddat Dominus orantibus in loco securum vias suas, quia ipse solus nouit corda filiorum, hominum: hoc est, ea, quæ habent in corde suo, quando orant: non igitur loquitur de futuris cogitationibus, sed de præfentibus, quibus Deus postulata redditurus est.

Præterea Hieronymus in ea quæst. in solutione primi respondet, his locis Scripturæ significari, Dei proprium esse plene, perfectæ, atque omni modo secreta cordis cognoscere: at vero videre & cognoscere etiam certo & euidenter, non tamen omnibus modis, non esse proprium solius Dei, sed Angelis etiam conuenire. Verum quam friuola hæc solutio sit, ex dictis satis constat, & ex his, quæ inferimus dicemus, colligitur. Ex Patribus deinde eadem sententia refellitur. Ex Græcis Chrysost. homil. 30. in Matth. in illa verba: *Cui mala cogitatis in cordibus vestris?* & homil. 23. in Matth. in illud, *Cum autem esset Hierosolymis, &c. inquit, Humanorum cordum cognitio solius Dei est, qui ea formauit.*

Cyrillus lib. 2. in Ioannem, cap. 19. & 3. lib. 63. & Athanasius in lib. Questionum ad Antiochum, quæst. 27. idem plane docet. Adde Damasc. 2. de fide, cap. 3. ante medium, qui ait, angelos sine sermone mutuo sibi communicare consilia cordis sui, Ex Latinis vero Hieronymus Epistol. 40. quæ est de duobus filiis, ita loquitur: *Deus est enim in conspectu peccatorum omnium solus, à quo nec in corde meditata peccata abscondi possunt.* & in illud Matth. 9. *Ecce quidam de Scribis, &c. inquit: Sed Dominus videns cogitationes eorum ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere.* Quod si angeli posset secreta cordium penetrare, nec solus Deus præfens esset cordibus hominum, nec sufficiens argumentum esset diuinitatis secreta cognoscere cordium.

Concordat Ambrosius in illud 1. ad Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur.* Author etiam de Ecclesiasticis dogmatibus apud August. cap. 8. ita scribit: *Internas animæ cogitationes diabolus non videt, certi sumus.* Et August. tract. 32. in Ioan. ante medium, ex testimonio illo 1. ad Corint. 2. docet, secreta cordis humani à nullo alio certo cognosci, nisi ab ipso homine & Deo. Ratio quoque, qua Hieronymus probat, posse quidem ab angelo cognosci secreta cordium, quid sint, & circa quid sint, utrum per modum affirmationis, an negationis circa obiectum versentur, non tamen circa quod obiectum homo, aut Angelus intensius operetur, merito à Durando, & alijs futilis indicatur, quæ talis est. Quanto species magis distat à re repræsentata, quia illam remote repræsentat, minus eam exprimit: sed species existens in mente vnius Angeli, remote repræsentat secreta cordis alterius Angeli, aut hominis, ergo minus ea repræsentat, & exprimit: hinc fit, inquit Hieronymus, ut quamuis Angelus cognoscat secreta cordium alterius, quid sint, & circa quid sint, discernere tamen non valeat, circa quid intensius homo, aut Angelus operetur. Hæc tamen ratio, ut recte notauit Durandus, solum probat, non ita bene cognosci ab vno Angelo rem ab alio Angelo cogitatam, sicut ab eo cognoscitur: quia cognitio cogitationis remote repræsentat, aut ferre in rem cogitatam: non tam probat, non posse ab vno Angelo cognosci circa quid alius intensius operetur: ad hoc enim necessarium non est cognoscere ita bene rem cogitam ab Angelo, sicut alio eo cognoscitur.

CAPVT II.

Secreta cordium, sola Dei voluntate impediunt ab Angelis non cognosci, dixerunt Scotus & alij.

Secunda sententia est aliorum, qui docent primum, secreta cordis humani, aut angelici, hoc est, tam affectus, quam cogitationes omnes ab alio Angelo suapte natura cognosci posse, deinde dicunt, de facto, Deo ita statuente, ne sciri huiusmodi secreta. Ita senserunt Scotus in 2. dist. 9. q. 2. §. 1. ad argumenta secundæ quæstionis in solut. 1. & in 4. d. 10. q. 8. ad argumenta, in solut. 3. Ocam in 2. q. 20. quodlib. 4. q. 13. Gabr. in 2. d. 9. quæst. 2. art. 2. & in canonem missæ Gabr. lect. 3. Bassolis eadem d. q. 2. §. 1. ad primum principale, in solut. 2. & §. 1. Sed contra istum modum, Lichetus q. 1. quam ponit. 1. loco §. Nunc solutenda sunt, Maior q. 3. Holcot. in 2. quæst. 4. ad secundum principale quæstum. Porro autem omnes Doctores citati in priori parte huius sententiæ cum Scoto eodem modo conueniunt, in posteriori tamen non eodem modo: nam ceteri,

Pal. 7.
Hierem. 11.

Pal. 146.

Hierem. 17.

2. Paral. 6.

Durand.

Epistol.

Chrysost.

Cyrillus
Athanasius
Damasc.
Hieronymus

Ambrosius

Augustinus

Scotus

Ocam

Gabr.

Bassolis

Lichetus

Maior

Holcot

Ceteri, præter Scotum affirmant, tam ab Angelis bonis, quàm malis ignorari de facto secreta cordis humani, & alterius Angeli. Scotus vero, eum in 2. sententiarum loco allegato docuisset, secreta vnius posse ab alio Angelo suapte natura certo cognosci, nec voluntate Angeli, aut hominis, cuius sunt, posse celari: postea in 4. quæstione citata asserit, malos Angelos à Deo impediri, ne secreta cordium cognoscere possint: de bonis autem sentire videtur, nullo modo à Deo impediri. Quæ vero ratione possint Angeli inuicem loqui, infra, disp. 211. videbimus.

*Fundamenta
huius sen-
tentie.*

Hanc opinionem quoad priorem partem probant primum, quia cognitio & affectus siue naturalis, si siue liber, est quoddam ens naturale creatum, verum, ac proinde intelligibile: quid ergo obstat potest, quo minus ab Angelo cognoscatur, qui etiam substantiam quamcunque spiritua-lem creatam quidam cognoscit; Deinde eandem partem confirmat, quia nulla ratio sufficiens assignari potest, ob quam dicamus, ab unoquoque homine, aut Angelo posse celari secreta cordis sui, ne ab alio Angelo videantur, & eadem sola voluntate fieri manifesta: sic igitur dicendum est, non pendere ex voluntate hominis aut Angeli, manifestari, aut celari consilia, & affectus voluntatis suæ alteri Angelo: ac proinde suapte natura, nisi à Deo impediantur, posse singulos Angelos aliorum secreta cognoscere. Posteriorem vero partem huius opinionis ea potissimum ratione hii Doctores addiderunt, ut Scripturæ, & Patrum testimonij aliquo modo satisfacerent. Ut enim superiori capite vidimus, plane pronuntiant, solius Dei esse, secreta alterius cognoscere. Ceterum his duobus, quæ diximus, addit Maior, necessarium esse, Angelum in certa quadam distantia secundum locum collocari, ut possit secreta nobis intelligere: sicut etiam, ut homo videat corporeo oculo colores, indiget tali, aut tali propinquitate secundum locum: intelligit autem Maior, ablato impedimento voluntate Dei, quo non existente Angelus suapte natura cognosceret secreta hominis, vel alterius Angeli in certa distantia, non autem in quacunque.

*Impugnatur
hæc opinio.*

Hæc sententia licet in eo verum doceat, quod asserit secreta hominis, aut vnius Angeli ab alio de facto non cognosci: id enim manifeste Scripturæ & Patrum testimonia demonstrant, ut supra diximus: in eo tamen, quod asserunt, suapte natura talia secreta à quocunque Angelo posse cognosci & sola voluntate Dei ab eorum cognitione impediri, ceteris omnibus Theologis iure optimo non probatur. Verum antequam falsitatem illius ostendamus, id quod Maior de distantia secundum locum asseruit, hac ratione impugnare libet. Quamvis quæcunque creatura, etiam spiritualis egeat loci propinquitate ad agendum in exteriori aliquam materiam, ut disp. 189. c. 2. diximus, tamen ad intelligendum ea non videtur indigere: tum quia Angelus non accipit species, aut cognitionem à rebus corporalibus, ut disp. 200. ostendimus: tum etiam quia licet à rebus accipere diceretur Angelus cogitationem non deberemus intelligere, hoc fieri multiplicata actione rerum corporalium per medium usque ad Angelum. Quæ etiam ratione inferius contra aliquos probandum est, in locutione Angelorum necessariam non esse loci propinquitatem. Hoc ergo præter-

missio, sententia Scoti, & aliorum quoad dicitur, sius partes impugnatur. Primum quidem ex Scripturæ, & Patrum testimonij superiori capite adductis, quoniam ita Scriptura, & Patres Deo tribuunt cognoscere secreta cordium humanorum vel etiam Angelorum; ut ei soli consentiat, ergo aut significant, à solo Deo hæc secreta de facto cognosci: & hoc falsum esset, quia alij præter Deum de facto cognoscunt secreta cordis humani, Angeli enim custodes, & sancti sciunt orationes nostras, quas ipsi offerimus, & bona desideria, ergo non solus Deus ea cognoscit: aut Scripturæ, & Patres significant à solo Deo propria virtute cognosci, atque hoc modo esse proprium Dei: & ita contra hanc opinionem colligitur secreta cordium non posse ab Angelis propria virtute cognosci.

Deinde ratione idem probatur, quia credibile non est, perpetuo à Deo impediri non solum malos, sed etiam bonos angelos, ne secreta cordium cognoscant, & contra naturalem ipsorum virtutem hanc illi perpetuo inferat. Quod enim Deus impedit dæmonum potentiam, ne multa operentur, quæ possent propria virtute efficere, mirandum non est: hoc enim ordo huius virtutis postulat, ne multa vnicuique momento perirent, in quo ad hoc constituti esse creduntur boni angeli custodes, ut dæmonibus resisterent, & ab eorum potentia res nostras tenerent: at vero impediri dæmones, & angelos à cognitione secretorum cordis, non video, quæ ratione fieri debeat: Si enim quis dicat, in penam sui peccati impediri, iustis est: nam hac eadem ratione à cognitione naturalium aliarum rerum deberet impediri: cumque non omnes angeli, etiam boni, noverint secreta cordis humani, dicendum non est, eos à Deo perpetuo impediri: cum neque in penam, nec aliâ causa id fieri debeat. Hæc etiam Scoti sententia impugnari consuevit quibusdam rationibus quibus opposita confirmari solet: potissima tamen argumenta contra eam sunt, quæ hæcenus adduximus.

CAPVT III.

Communis sententia, quæ asserit secreta cordium non posse ab Angelis suapte natura cognosci, à Thomæ de Argentina, & Angeli explicatur.

Communis & multo probabilior sententia est secreta cordis vnius hominis, aut Angeli non posse ab alio angelo cognosci, ita docent S. Thomas in hoc art. & 3. contra gent. cap. 154. & Ferrar. ibidem §. Circa id, quod de occultis sententiam, Alexand. 2. parte, quæst. 26. membr. 3. Bonum in 2. dist. 8. parte 2. art. 1. quæst. 6. Ricard. eadem dist. art. 2. quæst. 4. Capreol. quæst. 1. art. 1. Durand. quæst. 5. Thomæ de Argentina dist. 7. quæst. 1. art. 2. Algisiu. quæst. 1. art. 1. & tractatu de cognitione Angelorum quæst. 11. Gregor. in 2. dist. 9. quæst. 1. Marfilin. 2. quæst. 6. art. 2. Henric. quodlib. 3. quæst. 13. Quorum omnium communis est, quod hæc sententia ex scriptura & Patribus adductum est, in ea tamen sententia explicanda variant non parum, nam quamvis omnes dicant, aliquid secreti cordis humani, & angelici latere: quid tamen sit secretum illud, non omnes eodem modo intelligunt, & explicam igitur varios modos defendendi, & explicandi hanc opinionem, ut tandem, quid in ea probabilius sit aliorum iudicio integrum relinquamus.

Neque enim in re adeo difficili præiudicare aliquid aulim.

Primus igitur modus sit Thomæ de Argentina loco allegato, qui asserit, actum intellectus, & cogitationis intellectus vnius hominis, aut Angeli cognosci quidem ab alio Angelo quoad terminorum significationem, non tamen quoad compositionem & diuisionem, quasi dicat, quicunque Angelus natura sua virtute cognoscit quid aliud apprehendat, & de qua re cogitet: vtrum autem assensu, an dissensu, compositione affirmante, an negante, non discernit. Eodem modo philosophatur de actibus voluntatis: quia voluntas nihil prosequitur per actum complacentiæ, nec fugæ per actum displicentiæ, nisi id, quod iudicatum est conueniens, vel disconueniens, quocirca concedit, cognosci ab vno Angelo actum voluntatis alterius, de qua re sit, sed vtrum sit complacentiæ, an displicentiæ, non cognosci. Huius sententiæ videtur fuisse Agidius loco citato, vbi dixit: cogitationes vnius Angeli posse recte ab alio ita cognosci, vt sciat, quam utatur specie ad intelligendum, vtrum specie albi an nigri, non tamen discernat, quid speciatim cogitet. Cum enim (inquit) eadem species eiusdem rei in intellectu angeli, aut hominis seruire possit ad cognoscendum habitum, & priuationem, ad compositionem affirmantem & negantem de eadem remittitur non est: si ignoret vnius Angelus, quid aliud angelus, vel homo cogitet, etiam si sciat, quam utatur specie ad intelligendum. De actibus voluntatis nihil dixit Agidius, sed fortassis in eadem sententia est.

Huius opinionis meminit Durandus loco allegato, atque opinionis Heruæi, quæ parum ab hac differt, & vtramque probabilem arbitrat, magisque conformem communi Doctorum & Scripturæ sensui esse existimat. Eam vero laxissime confutat Heruæus quæ sit citata, hac præcipue ratione: impossibile est per eundem conceptum, aut per eandem speciem expressam omnino inuariatam intelligi varias res successiue, vel de eadem re varia cognosci nunc affirmando, nunc etiam negando: ergo si Angelus cognoscit conceptum & speciem expressam in mente vnius, & scit de qua re illa sit, necessario debet intelligere, quid de illa Angelus, vel homo cogitet, vtrum assermet, an neget: & cum non detur vna & eadem species ex se indifferens ad cognoscendum contraria aut diuersa, vt placuerit: dicendum necessario est, vel non cognosci ab vno angelo, de qua re alius cogitet, vel omnino sciri quid & quomodo de illa re cogitet. Porro autem non posse per eandem speciem expressam inuariatam diuersa successiue, aut diuerso modo cognosci, fatentur in primis Thomas de Argentina, & Agidius cum dicant, non esse eandem numero qualitatem & speciem ex se indifferenter ad opposita aut diuersa aut diuerso modo cogitanda. Ratione quoque optima probat Henricus: quia fieri nequit, vt aliquis reducat de potentia ad actum intelligendi, nulla in ipso mutatione facta. Si igitur aliquis nunc cogitat rem vnam vno modo, non poterit deinde per eandem omnino qualitatem diuersam rem, aut eandem diuerso modo cogitare. Imo vero, si probabiliorem sententiam sequamur, quoties de realia diuersa cognoscimus, non possumus non habere notitiam & cogitationem expressam omnino diuersam à priori: nec idem actus qui est complacentia vnius

rei, variari potest, vt sit eiusdem rei, vel alterius, fuga & displicentiæ: quare recte colligitur non esse eandem speciem expressam ex se indifferenter ad varia intelligenda, ac proinde aut nullo modo cognosci virtute propria ab vno angelo cogitationes alterius, aut omnino cognosci.

Dicit aliquis sufficere mutationem nouæ relationis aduenientis, vt per eandem speciem varia aut vario modo cognoscantur, hoc tamen frivolum est, vt inquit Heruæus: nulla enim relatio incipere potest, nisi mutatione priori facta in relato, vel in termino ipso: cum igitur non mutantur res cogitatae ab Angelo, quando ipse incipit cogitare, id quod antea non cogitabat, efficitur, debere mutationem fieri in ipsa cogitatione. Quod si aliquis dicat, id fieri posse sola relatione rationis variata, hoc magis ridiculum est, tum quia relatio rationis vel extrinseca denominationis incipere nequit, nisi priori reali mutatione facta in relato, aut in termino, vel in aliqua alia re, hic vero nulla videtur possibilis mutatio, nisi fiat in ipsa cogitatione, tum etiam, quia ad nouam cogitationem realem in nobis, non videtur satis extrinseca, solum denominationis, seu relatio, sed physica quædam mutatio in ipsa specie necessaria est.

Eodem prorsus modo probari debet, non posse cognosci affectum voluntatis circa aliquam rem, quin etiam cognoscatur, quo pacto circa illa versetur, quia nullus est affectus ex se indifferens, vt sit complacentia, aut displicentiæ, prosecutio, aut fuga. Si vero in eodem actu intellectus concedamus simul affirmationem & negationem, & in eodem actu voluntatis fugam, & prosecutionem, fieri nequit, vt actus ille certo cognoscatur, quatenus est intellectus, non autem quatenus est affirmatio & negatio simul, & actus voluntatis cognoscatur, prout est affectus circa hanc rem, non tamen prout prosecutio, aut fuga.

Durandus vi huius argumenti conuictus est, quæstione citata, vt tamen defendere tanquam probabilem prædictam opinionem Agidij, & Argentina numero 14. quæstionis citatæ, inquit, responderi posse, omnes actus intellectus, & voluntatis esse eiusdem speciei, siue sint affirmationes, siue negationes, siue prosecutiones, siue fugæ, esse tamen aliam differentiam præter differentiam intentionis & remissionis, & hac ratione putat defendi posse aliquo modo opinionem Heruæi, vt dicemus, nempe cognosci ab Angelo cogitationes, & affectus alterius, circa quid sint, non tamen quo modo sint. Verum quamvis concederemus Durando non distingui secundum speciem cogitationes & affectus, imo vero neque secundum intentionem, nihilominus argumentum supra factum vim haberet, nam necesse est concedere aliam distinctionem & mutationem ad hoc, vt per eandem qualitatem eadem res diuerso modo sit obiectum cogitationis, & affectus successiue, vt monstratum est, quia eadem qualitas eodem modo se habens, semper versabitur eodem modo circa obiectum, siue illa qualitas sit cogitatio, siue affectus.

Postremo dicere posset aliquis pro sententiâ Argentina, & Agidij cognosci quidem ab vno Angelo certo & euidenter, quam utatur specie intelligibili impressa alius Angelus, vel homo, non tamen, quam exprimat speciem & cogitationem, nam eadem species impressa ex se indifferens est ad esse.

Resoluitur.

Secunda auctoritas.

Rejiciunt.

ad eliciendam hanc, aut illam cogitationem circa eandem rem: quare non sequitur ex eo, quod unus cognoscat, quia specie alius vtratur, cognoscere etiam, quid cogitet. Ceterum hæc doctrina diversa omnino est à sententia prædicta. Nam Agidius, & Argentina plane concedunt, ab vno angelo cognosci cogitationem alterius, ac proinde expressam similitudinem & speciem, quæ est ipsa cogitatio: quocirca secundum horum sententiam non tantum unus angelus scit, quia specie impressa vtratur alius ad eliciendam cogitationem, sed quam habeat expressam speciem & cogitationem. Præterea fieri nequit, ut unus angelus certo sciat, quia specie impressa alius vtratur ad eliciendam cogitationem, nisi etiam sciat ipsam cogitationem, cum enim nulla fiat in specie impressa mutatio ex eo, quod ea vtratur angelus aut homo ad eliciendam intellectiōem, fieri nequit, ut vnum angelus sciat, quia potius vtratur specie alius angelus, nisi videat effectum illius, scilicet cogitationem ipsam, ad quam eliciendam alius vtratur specie impressa.

Porro si hæc opinio Argentina, & Agidij esset vera, testimonia omnia Scripturæ, & Patrum posset explicari, nam si vnum angelum lateret affirmatio, vel negatio cogitationis, disciplina & complacentia, fuga seu prosequutio affectus, etiam si cogitatio & affectus essent manifesti ea duntaxat ratione, quia circa tale obiectum versarentur, recte quidem diceretur, secreta cordium, affectus etiam & cogitationes à nullo alio cognosci aut discerni, quam à Deo, & ab ipso homine, aut angelo, cuius sunt, qui enim nec affirmationem, neque negationem, neque fugam, neque prosecutionem novit, non dicitur affectus & cogitationes cognoscere, quia qualis sit cogitatio seu affectus, non intelligit.

CAPVT IV.

Secundus, & tertius modus, quo prædictam communem sententiam explicat Henricus.

Henrici sententia est, cognosci ab vno angelo cogitationes alterius.

Secundus modus explicandi prædictam communem opinionem parum diversus à præcedenti, est Henrici quodlibet. 3. qu. 13. qui duo docet. Vnum est, cogitationes hominis, aut vnius angeli secundum naturam ipsarum optime ab alio angelo, & à demone propria virtute cognosci non solum de quo obiecto sint, sed etiam vtrum sint affirmationes, an vero negationes. Alterum est, non cognosci ab vno angelo, ad quem finem cogitationes illæ ab alio angelo, vel ab homine dirigantur, & hoc appellat secretum cordis, quod solum à Deo cognosci potest. Ceteram, ut explicet, quo pacto lateat vnum angelum, in quem finem cogitationes alterius dirigantur, ac proinde affectus etiam illius sit ignotus, notat, duo per se in voluntate considerari, nempe actum ipsum affectionis & voluntatis, qui elicited est, & hunc inquit esse notum cuicumque angelo non solum in suo effectu exteriori, sed etiam in se ipso, & relationem voluntatis ad obiectum, quæ nihil addit entitatis supra voluntatem ipsam, hanc relationem ipse Henricus appellat intentionem voluntatis circa obiectum, & virtutem internam, & inquit esse secretum cordis, quod soli Deo & ipsi habenti notum est. Quocirca hic author concedit, recte ab vno angelo cognosci, quid alius angelus, vel homo cogitet,

imo circa quid habeat affectum & animum intentum: quia cognoscit substantiam affectus voluntatis: sed ad quem finem affectum dirigat, omnino occultum esse. Cognoscit itaque secundum Henricum unus angelus an homo cogitet de muliere, & an affectum habeat circa illam, sed vtrum ad concubitum, vel alium finem ignorat.

Probat autem cogitationes, & affectus etiam libere elicitos à voluntate vnius, recte ab alio cognosci: quia sunt qualitates & entitates quædam naturalis ordinis existentes in rebus naturæ, quæ ergo oblatere potest, quo minus ab alio angelo possint evidenter, & certo cognosci: Quia quidem ratione Scot. probavit, omnem cogitationem & affectum vnius Angeli, aut hominis suapte natura notum esse alteri angelo, nisi à Deo impediatur. Potestatem relationem illam affectus, quam Henricus vocavit intentionem & virtutem internam, esse alteri angelo ignotam, non confirmat illa ratio: sed eam excogitasse videtur solum, ut aliquod secretum cordis Deo resecretaret, quod suapte natura cuicumque intellectui creato, præterquam habitus illud, esset ignotum: atque hac ratione ex una parte locis Scripturæ, & Patrum satisfeceret, quibus dicitur, secretum cordis soli Deo notum esse: ex alia vero concedere propter rationem factam, intellectiōes & affectiones vnius angeli, aut hominis alteri angelo notas esse.

Hæc tamen sententia non minus abique fundamento videtur, quam præcedens, primo quia intentio voluntatis nihil aliud videtur esse, quam affectus complacentiæ, & amoris aut odij, intentio enim essentialiter est actus voluntatis ab eo elicited, qui ergo novit affectum elicited, novit etiam intentionem voluntatis circa hoc, vel illud obiectum: quid enim magis secretum in corde humano esse potest, quam amor & affectus illius? Quare si angelus recte novit, quando unus homo cogitet de pulchritudine mulieris, & cognoscit affectum amoris, vel odij circa illam, eodem modo cognoscet, vtrum cogitet de amplexu, an de alio actu turpi cum illa, & vtrum amet, an odio habeat, ac proinde cognoscet, vtrum cogitet de illa cum intentione fruendi eius amplexibus, aut fugiendi. Fruolum autem est asserere, intentionem voluntatis esse relationem illam, quam Henricus comminiscitur, siquidem intentio est affectus, & actus elicited voluntatis, seu appetitus. Secundo, quia ratione in actibus voluntatis distinguitur ipse actus & affectus à relatione illa, & ideo ea relatione solum dicitur esse secretum occultum, eadem debet in intellectu distinguui intellectus à relatione illa, & in ea relatione continui debet esse secretum etiam intellectus, quod soli Deo & angelo notum esset, & quemadmodum in relatione illa voluntatis secundum Henricum constituenda est intentio, sic etiam in relatione intellectus constitueretur ratio assensus compositionis, & divisionis, affirmationis & negationis, quare cum Thomas de Argentina dicereamus, posse quidem ab angelo cognosci intellectiōes & cogitationes alterius quid sint, & circa quid, non tantum quales sunt, quod Henricus, ut existimo non negaret. Præterea eius opinionem ab opinione Argentina dixi parum differre, illa vero iam satis superius impugnata est.

Tertio illa relatio, quæ est in voluntate præter affectum, & amorem, & dicitur intentio vel

est realis, vel rationis proveniens solum ab extrinseca denominatione ipsius actus amoris & affectus. Si est realis, rursus aut est ingenua facultati voluntatis, aut illi adveniens. Si est ingenua: sequitur, semper esse eandem omnino, quod est absurdum: sic enim semper esset in nobis eadem intentio animi. Si autem advenit potentiae voluntatis, & ab ea abesse potest (siquidem non semper manet homo in eadem intentione) sequitur, distinguere realiter à potentia, saltem ut distinguitur modus à re, cuius est modus, iuxta ea, quae notamus supra disputatione 217. capite 5. & 219. c. 2. quia illud, sine quo aliud esse potest, distinguitur ex natura rei, & aliquo modo realiter, seu plusquam ratione ab illo. Quous autem modo dicatur, ego quidem primum non video, quia ratione affectus ipse amoris & odij unius Angeli, aut hominis cognosci possit ab alio, & tamen relatio illa cum sit eiusdem ordinis, non possit. Deinde si haec relatio advenit potentiae, nec est illi ingenua, ut manifestum est: debet esse aliquid illius fundamentum: nullum autem aliud videtur esse, quam actus ipse & affectus amoris: relatio autem fundata in affectu, potius recipitur in ipso affectu, ut in proximo subiecto, quam proxime in ipsa potentia voluntatis: qui autem cognoscit affectum secundum se celare & sicuti est, ut faceret Henricus cognosci ab Angelo, scire etiam poterit relationem illam, ac proinde intentionem. Praeterea si relatio illa, quae dicitur intentio, esset rationis, eodem pacto ab Angelo etiam cognoscere: nam haec denominatio in potentia procederet ex actu ipso elicitio circa tale obiectum: ergo cum vnus Angelus certo sciat affectum alterius, sciet etiam talem denominationem seu relationem, quam Henricus vocat intentionem. Ex quo autem alio fundamento talis relatio possit oriri, non potest Henricus ostendere.

Ceterum si hic modus philosophandi & explicandi communem opinionem verus esset, non inepie posset defendi id, quod communis illa sententia contendit, & testimonia Patrum atque Scripturae significant, nempe esse aliquid occultum & secretum cordis hominis, aut Angeli, quod ab alio Angelis cognosci non possit.

Tertio alio modo communem illam opinionem explicat & defendit idem Henricus quodlibet 5. qu. 5. vbi de locutione, & illuminatione Angelorum agit, ita ut in eodem conceptu & cogitatione vnus Angelus sit aliquis, quod lateat alterum Angelum: existimat enim per eundem conceptum cognosci ab Angelo vniuersale, & singulare obiectum: esse autem manifestum alteri Angelo conceptum illam, quareus circa vniuersale: occultum tamen & ignotum quatenus circa singulare versatur. Hic tamen modus philosophandi eodem modo impugari posset, quo praecedentes, & de illo fusius differemus infra disput. 211. vbi de locutione Angelorum agendum est.

CAP. V.

Quartus motus explicandi eandem communem sententiam ex S. Thom. Alexand. & aliis confirmatur ratione Ricard.

Postremo ex scriptoribus alio modo interpretati & defendere videntur praedictam communem sententiam S. Tho. Caiet. & recentiores usque in 1. p. tom. 2.

Theologi in hoc articulo. Alexand. Bonau. Marfil. Gregor. Capreol. Ferrar. loci citatis. Dicunt ei ego, affectus voluntatis vnus Angeli, aut hominis non posse ab alio Angelo certo cognosci: & hos affectus appellant secreta cordium. Idem docere videntur de cogitationibus S. Thom. Caietan. Marfil. Gregor. Capreol. & Ferrar. nisi quod, ut colligitur ex rationibus S. Thom. Caietan. Ferrar. Ricard. & Capreol. loquuntur de cogitationibus solum, quae pendent ex libera hominis potestate, ut sequenti disp. patebit, ea solum ratione, qua ex libera voluntate pendent. Variant tamen in confirmanda communi sententia, in qua conveniunt Alexand. Bonau. Marfil. & Gregor. solum probant ex scriptura, & doctrina Patrum, de qua satis superque dictum est cap. 1. huius disp.

Ricardus vero hoc modo probat: vnus Angelus non est intime praesens animae nostrae, aut alteri Angelo: ergo indiget speciebus, ut cognoscat ea singularia, quae esse incipiunt in anima, aut in Angelo per species ab ipsis derivatas in intellectu ipsius, ut ex eodem retulimus supra disp. 210. ca. 1. ergo vnus Angelus non potest cognoscere singulares affectus, & cogitationes alterius Angeli aut hominis, nisi ab eis species accipiat, atque ea, quae sunt voluntate in Angelo, aut in anima nostra, quales sunt affectus & cogitationes liberae, non producant ex se species, nisi motu voluntatis eius in quo sunt: ergo nisi homo, aut Angelus velit, non possunt in intellectu alterius Angeli species immittere ac proinde neque certo cognosci.

Verum haec ratio nihil habet momenti. Primum quidem quia distantia secundum locum nihil obitare potest, quo minus aliquid ab Angelo cognoscatur, ut supra iam notatum est disp. 204. c. 2. ut disp. 212. c. 2. dicitur, sicut etiam proprietas secundum locum nihil iunare potest. Quod si haec sufficeret, ut vnus Angelus certo cognosceret & intueretur cogitationes & affectus alterius Angeli, aut hominis: facile posset ab Angelo hoc modo cognosci: quia potest vnus simul loco cum alio esse, ut disput. 193. cap. 4. monstrauimus: esset igitur in potestate cuiusque appropinquare alteri, & cor illius intueri.

Deinde quia vnus Angelus intelligeret per species res praesentes: eas tamen non accipere à rebus, etiam spiritualibus, sed eas haberet à principio sibi infusus aut ingenuas: cur ergo non haberet species cogitationum & affectionum, ut eas intelligeret, si alioquin ipsae essent obiectum naturale, & accommodatum intellectui?

Postremo, si diceremus, non esse in Angelis species rerum singularium, sed eas accipere à rebus praesentibus, nulla esset ratio, ob quam assereremus, Angelum non accipere à cogitationibus & affectibus praesentibus abque imperio & voluntate eius, in quo sunt: nam quauis haec operationes liberae sint, & ita subsint libertati voluntatis, ut eas elicere possit, & non elicere: semel tamen elicita non patent imperio voluntatis in eo, quod ipsae secundum se producant: quare ut producant habitum in ipsa voluntate, aut in intellectu, non parent imperio ipsius, sed, velit, nolit voluntas, affectio & cogitatio semel libere elicita non possunt in voluntate non producere habitum: ergo cum ex se producant speciem in intellectu alterius, si eam producant, non pendebit ex imperio rationis, eam producere vel non producere.

Y Y Adde

Ratio Ricard. 24.

Impugnatur primo.

25.

Adde etiam, quod hac ratione nunquam possent homines rudes, & ignorantes, imo etiam docti, qui hanc sententiam non sequeretur, loqui Angelis, & suum illis animum explicare: quia si illud deberet intelligi ab Angelo per speciem ab affectu & cogitatione derivatam, & liberæ voluntati habentis cognitionem & affectum subesset, aliquam ab eis speciem in intellectum Angeli derivari: nunquam derivaretur, quo usque homo vellet, ut talis species produceretur: sed nullus ignorans, aut etiam doctus, qui hanc opinionem Ricardi non sequeretur, unquam vellet, ut talis species produceretur: quia aut non attendet ad hoc, aut nullo modo credit, id fieri posse: ergo nunquam suum animum Angelo manifestabit.

Dices fortasse, satis esse, ut statim species produceretur in alio cogitationis & affectus, si homo, aut Angelus velit, ut alius suum animum cognoscat: quamvis non velit expresse speciem suæ cogitationis aut affectus in intellectu alterius produci. Ceterum hoc friuolum est, quis enim non videat, ad hoc, ut cogitatio ex se speciem produceret, nihil omnino referre, an voluntas habentis talem cogitationem velit eam manifestare: quasi ipsa cogitatio intellectum haberet, & statim posita tali voluntate intelligeret, se non posse aliter manifestari, quam producendo ex se speciem in intellectu alterius.

CAPUT VI.

Eundem modum defendendi communem sententiam, aliter probant S. Thomas, Caiet. & Ferrariens. quem impugnatur Scotus, & Durandus.

27. **C**ommunem opinionem eo modo quem diximus interpretatam alia ratione probant S. Thom. Caietan. Ferrariens. & Capreol. locis citatis, quæ talis est: voluntas rationalis creata soli Deo subiacet, & ipse solum in eam operari potest: ergo ea, quæ ex voluntate creata pendet, Deo soli, cui subditur ipsa voluntas, nota esse possunt: huiusmodi sunt affectiones, cogitationes: ergo soli Deo notæ esse possunt. Hac ratione non vult Sanct. Thom. probare, affectiones voluntatis, & cogitationes cordis occultari voluntate ipsa ne videantur ab Angelis: sed contendit, suapte natura, quatenus ex libera voluntate procedunt, soli Deo notas esse: si enim suapte natura alteri Angelo notæ essent, non possent voluntate habentis illas celari: id quod optime demonstrat Scot. in secundo loco citato, hac ratione: fieri non potest, ut id quod alias ex se intelligibile est ab aliquo intellectu, absque illo alio impedimento sola voluntate habentis illud reddatur non intelligibile: ergo cogitationes, & affectiones, si sunt suapte natura intelligibiles, alteri Angelo non poterunt celari sola voluntate habentis illas. In eo tamen fallitur Scotus, quod putat sententiam S. Thom. fuisse, quam ipse impugnatur: cum ille potius dicat, secreta cordis humani, & angelici alteri Angelo suapte natura esse ignota. Quocirca id, quod Chrysost. asserit homin. 5. in Matth. in illa verba, Tunc reliquit eum diabolus, in bonum sensum explicandum est: ita enim scribit, Secundum dispensationem autem Dei recedit Angelus bonus; magis autem non recedit, sed abscondit se, inuisibilem se reddens ante diabolum: quoniam nisi voluerit, Angelus bonus à diabolo non videbitur. Hoc autem difficile est, si verum est, id quod diximus, vel eo præsertim, quod Chrysost. alibi

Malis intellectus est ab Scoto Sanct. Thomas.

28. *Locus Chrysost. explanatur.*

ARTIC. IV.

doceat Angelos spirituales & incorporeos esse, sicut retulimus disput. 17. cap. 2. est igitur intelligendum, ut non virtute propria Angelus bonus se reddat inuisibilem alteri Angelo: sed sola Dei dispensatione: nam si ex virtute naturalis fieri posset, eodem modo de monachis suspensis naturæ Angelo bono inferioris se posset celare: siquidem in demonibus integra manserunt omnia naturalia, ut docet Dionys. cap. 4. de divinis nominibus.

Ceterum eandem rationem impugnat Durandus hoc modo: si affectus, & cogitationes vultus Angelici ratione non possunt ab altero Angelo cognosci, quia pendunt ex libera voluntate Angelis, in quam solus Deus operatur: eadem quoque ratione substantia animæ rationalis, & ipsius Angelis non posset ab alio, quam à Deo cognosci, & cetera omnia, quæ à solo Deo libere pendunt: nam si ea, quæ pendunt ex arbitrio humano, ignota sunt Angelis: multo magis erunt ea, quæ pendunt ex libero arbitrio Dei: quod tamen est absurdum. Ratio ergo Sancti Thomæ solum probat, actiones humanæ voluntatis, vel intellectus libera à Deo recte cognosci, quia ab eo pendunt: at vero à nullo alio posse cognosci, quam à Deo vel ab ipso homine aut Angelo, qui eas habet, non satis probare videtur.

CAPUT VII.

Rationi Durandi respondet Ferrar.

Hæc ratio Durandi non parum viget Thomæ mistas, & ideo varie eam diluere conatur. Primum quidem respondet Ferrar. loco citato, §. Circa autem, post medium illius, rationem Sancti Thomæ non iniri illi propositioni, Omnia quæ à solo Deo producuntur, soli Deo cognita est: sed aliter nempe, Omnis operatio, & omnis affectus, quæ, qui à nulla causa naturaliter agente procedit, si incertum à libera, & à Deo soli Deo, & ipsi operati, & in illam voluerit manifestare, nota est. Huiusmodi autem non est omnis effectus, quia Deo libere procedit. Verum hæc ratio Ferrariens. mihi non probatur: primum: nam si illam posteriore propositionem assumeret Sanct. Doctor, non recte argumentaretur: assumeret enim in sua ratione illud, quod colligere potius debebat. Deinde ratio, propter quam Sanctus Thomas dicit, affectum liberum voluntatis, & actum intellectus à solo Deo cognosci, ea est, quia ab eo solum hæc potentia voluntatis moveri potest: ergo eadem ratione, quicquid à solo Deo pendet, à solo illo certo cognosci poterit.

Sed agendum, admittamus solutionem Ferrariensis, & contra illam alio modo arguamus: ostendamusque, ex illa aliqua incommoda deduci. Primum sequeretur, motum cæli, qui ab Angelo voluntate cæli non pendere ex sola Angeli voluntate, sed etiam ex forma naturali cæli, atque hac ratione recte cognosci posse ab Angelo. Ceterum huius solutioni obstant duæ rationes, una est, quia motus cæli non potest & ab Angelo humiliter à forma naturali & intrinseca cæli pendere: sed si ab Angelo mouetur orbis ipse, solum passivè concurreat: alioqui si eius forma est naturale principium efficiens motum, voluntas Angeli superaddenda

est, sicut esset ut ignis combureret. Altera ratio est, quia si motus celi esset ab Angelo, & à propria forma naturaliter efficiente, ideoque posset ab Angelo cognosci, eadem ratione & liberæ cogitationes cuiusque Angelo notæ essent: nam licet pendeant ex libera voluntate, eliciuntur tamen à causa naturali, scilicet ab intellectu. Verum hæc ratio forsitan probat id, quod neque S. Thom. nec Ferrar. & alij huius opinionis negant, nempe cogitationes cordium, quatenus cogitationes sunt, secundum substantiam notas esse Angelis: tamen si hæc intentio, ex qua procedunt, & ad quam diriguntur, non sit nota.

Secundo sequetur, motum lapidis sursum effectum libere ab uno Angelo, non posse ab altero cognosci, quia pendet ex libera Angeli voluntate. Ita obiicit sibi Ferrar. & respondet, illum motum violentum lapidi, esse alteri corpori naturalem: & ob id recte ab Angelo cognosci quia ad hoc satis videtur, si cum aliquo naturali corpore habeat naturalem connexionem. Hæc tamen solutio parum habet momenti: nunc enim non agimus de notitia abstractiva, qua res cognoscitur secundum se abstracta ab existentia: sed de cognitione quam vocant intuitivam, qua Angelus cognoscit non solum motum aut operationem secundum se, sed inesse huius, aut illi subiecto: ergo quamvis Angelus recte sciat motum sursum esse naturalem aëri, & igni: hoc tamen non satis est, ut sciat, quando alicui mobili talis motus inest contra naturam, nisi cognoscat causam impellentem: si igitur non potest affectum voluntatis & motum intellectus hoc modo cognoscere: quia procedunt à causa libera, scilicet à voluntate: eadem ratione non cognoscat motum sursum lapidis tunc lapidi inesse, si ex sola libera voluntate Angeli pendet.

Tertio colligitur, motum hominis progressivum non cognosci ab Angelo: motum etiam imaginationis: quia non minus pendet hi motus à voluntate, quam cogitatio ipsa intellectus: nam si dicatur, has operationes non pendere à sola voluntate, sed etiam ab alia facultate naturali, aut imaginationis, aut mentis secundum locum: idem dicemus de operationibus intellectus. Ceterum ut supra notavi, hæc ratio probat id, quod etiam Doctores huius communis sententiae non negant, nempe intellectiones, quatenus intellectiones sunt, secundum suam substantiam recte ab Angelo cognosci: & solum ignorari, quo fine, quaque intentione fiant: id quod nos inferius ut probabile proponemus. Quod si aliquis hoc non concedat, certe argumento superius facto non leviter potest virgeri.

Sed posset aliquis dicere, ideo non solum affectiones liberas, sed etiam intellectiones & cogitationes unius Angeli non posse ab alio cognosci, quam à Deo, & ab ipso, qui eas habet: quia solus Deus operatur in intellectum, sicut etiam in voluntatem hominis aut Angeli. Verum contra hoc est efficax alia ratio, quia ex hac doctrina sequeretur, non solum non posse cognosci ab alio Angelo cogitationes existentes in mente alterius: verum etiam neque habitus, neque species intelligibiles: quia has solus Deus operatur infundens illas, vel saltem solus Deus cum intellectu Angeli eas efficit: quod tamen videtur falsum, & contra ipsum Sanct. Thom. qui in solutione secundi plane faretur, ab uno Angelo cognosci species

Vasquez in 1. p. tom. 2.

intelligibiles existentes in alio: solum vero latere usum earum, hoc est, operationem intellectus, ad quam Angelus virtutis specie: usum vero earum seu cognitionem ea solum ratione inquit latere alterum Angelum, quia quilibet virtutis speciebus, & cogitat prout libet ex imperio aut motione voluntatis. Ex qua etiam doctrina infra colligemus, actum intellectus unius Angeli, à quo pro voluntate non potest cessare, esse omnibus aliis naturaliter notum. Quocirca probanda non est Marii sententia loco citato coroll. 2. post secundam suppositionem, cum asserit, quemcumque habitum existentem in uno Angelo posse ab eo celari, ne ab alio videatur. Quæ sane opinio firmum fundamentum non habet: nam cum productio habitus non pendeat ex libertate nostra proxime, sed remote, & conservatio illius nullo modo pendeat: non est, cur dicamus, non posse habitum suapte natura à quovis Angelo cognosci. Ex quo efficitur non posse ab eo in quo est, celari, ne ab alio videatur.

CAPUT VIII.

Eidem rationi Durandi respondet Caietanus.

Alio modo contendunt Caiet. & Capreolus a. 2. citato ad 1. Durandi contra 1. conclus. dissolvere argumentum Durandi, quod superius contra rationem S. Thom. allatum est. Dicunt ergo principium, quo nititur ratio Sancti Thomæ, non esse illud, quod putavit Durandus, videlicet voluntas soli Deo subditur ut efficiat, ut ex eo inferat, ergo soli Deo affectus illius notus est, sed alterum esse principium, nempe, Motus voluntatis non est aliqua natura habens esse fixum, sicut habet substantia, nec habet necessariam & determinatam connexionem, aut necessario determinare pendet ab aliqua naturali causa, sed solum à Deo: nec movere potest ex se intellectum alterius Angeli ad sui cognitionem proxime, nec remote, imprimendo aliquam speciem sui: nec alius Angelus habet species sibi ingentis, quibus representantur secreta cordium. Ex hoc autem recte colligit, ergo secreta cordium non possunt cognosci ab alio, quam ab eo cuius sunt, & à Deo, à quo solo movetur voluntas. Ita refert Capreolus propositionem, quæ tota ratio Sancti Thom. nititur videtur. Caietanus vero idem fere inquit esse principium, quod S. Thomas assumit, scilicet actus liberi voluntatis nostræ, vel Angeli non habent connexionem cum aliqua causa naturali & necessaria: & ideo non representantur in speciebus ingentis Angelo, sicut alij naturales effectus ex quo recte inferitur, ergo ab alio Angelo nequeunt cognosci, sed à solo Deo, & ab eo cuius sunt. Probat autem Caietanus, actus liberos nostræ voluntatis, vel Angeli non representari in speciebus alterius Angeli, quia sunt altioris ordinis, quam sint res naturales: ergo per species rerum naturalium non possunt representari: appellat autem res naturales quæ habent causam naturalem, hoc est, operantem per modum naturæ determinatam ad unum. Tandem Caiet. §. Ad evidentiam, in ultimis verbis ostendit, quare actus liberi voluntatis non cognoscantur ab alio Angelo per species sibi inditas à principio, quia videlicet Angeli solum habent species rerum naturalium: sed cur non habeant etiam affectuum volitionum liberarum, non probat.

Yy 2

Certe

35.
Impugna-
tur.
Caiet. &
Capr. ex-
plicatur.

Ceterum quis non videat, tam Caietanum, quam Capreol. multa supplere in ratione Sancti Thomæ quæ ipse Sanctus Doctor non cogitavit. Nisi quæ enim vnam ex illis propositionibus in eo inuenies: sed tantum assumit id quod supra retulimus, nempe solum Deum operari in voluntate nostram: ut inde colligat, affectus, & motus liberos illius à solo Deo posse cognosci, qui solus in illam operatur. Deinde ex propositione, quam assumit Capreolus, recte quidem inferitur, secreta cordis ab alio Angelo non cognosci, si Angeli per species rerum ipsas intelligunt: tamen principium illud pro sola ipsius voluntate absque alio fundamento videtur assumptum: gratis enim videtur dictum, & potius colligendum erat in ratione, quam assumendum illud pronuntiatum, secreta cordis humani, vel Angelici neque ex se mouent intellectum alterius Angeli, ut cognoscantur, nec sui speciem in Angelo producant, nec alius Angelus habet species illorum ab initio ingentis, ut ab eo cognoscantur: qui enim dicunt, ex se posse cognosci secreta cordis humani, vel Angelici, vno ex his tribus modis id docent, nempe quia ex se sine alia specie cognosci possunt virtute intellectus, sicut reliqua omnia, vel quia ex se producant speciem in intellectu Angeli: vel quia ita postulat Angelus natura sua habere species horum secretorum, sicut quorumcumque aliarum rerum, quas si non habet, sola Dei voluntate non habet, cum alias ex se sint eodem modo Angelo connaturales, sicut species aliarum rerum: in quo videtur summa huius controuersie constituta.

Eodem modo parum refert, quod assumit Caietan. nempe secreta cordium non representari per species rerum naturalium, & in intellectu Angeli solum esse species rerum naturalium. Primum quia non videtur impossibile, per eandem speciem cum Angelo representari plura diversi generis, ut substantiam & accidentia illius: cur ergo repugnabit, representari secreta cordium & essentiam voluntatis, vel substantiam Angeli, si quidem eadem cognitione, & similitudine expressa possunt representari plura & omnino diuersa? Deinde etiam admittatis, affectus & operationes liberas voluntatis per species omnino distinctas à speciebus rerum naturalium cognosci: probandum tamen erat, in intellectu cuiuscunque Angeli non esse species secretorum cordium, sicut aliarum rerum: vel si reuera non sunt, probandum erat, Angelum suapte natura postulare in creatione sua species aliarum rerum sibi infundi, aut congenerari, non autem secretorum cordium, si omnis cognitio Angeli sit per species: aut certe si Angelus sine speciebus elicere potest cognitionem aliarum rerum, probandum erat, intellectum eius virtute sua naturali non posse secreta cordium cognoscere, sicut potest res alias. Si vero aliquis dicat, cognitionem fieri per species impressas, quibus intellectus Angeli elicit cognitionem, & per nullas species posse representari secreta cordium, quia secreta sunt libera, species autem quæcumque est ordinis naturalis. Contra hoc est manifesta ratio: sequeretur enim, nec de potentia Dei absoluta dari posse species impressas secretorum cordis, aut notitiam propriam illorum, siquidem species illa, & cognitio esset ordinis naturalis, & per rem ordinis naturalis, hoc est, non liberam res liberæ representari

non possunt. Quod si facimus, dari posse species naturaliter representantes tam in actu primo, quam secundo secreta cordium, probandum erit, quare non infunderentur naturaliter Angeli, sicut reliquæ aliarum rerum.

Postremo obseruandum est iuxta sententiam horum authorum, si rationi eorum inueniendum est, cogitationes cordis humani, vel alius Angeli posse ab alio Angelo cognosci, quatenus cogitationes sunt, & secundum substantiam ipsarum: circa quid nimirum versentur, & quid de illis sentiant vel negent: quia sunt elicite à principio naturali, & secundum suam naturam sunt ordinis entium naturalium: solum autem libere sunt extrinsece, quatenus pendent aliquo modo ex voluntate libera, quæ quidem conuenit esse potest absque aliqua intrinseca mutatione facta in actu ipso cogitationis, ex eo solum quod ratione aduertente cum indifferentia voluntas mouet intellectum ad cogitandum: quæ quidem libere formaliter non est affectio intellectus, sed voluntatis. Solum igitur videtur dicendum iuxta horum Doctorum sententiam liberas voluntatis affectiones & intentiones occultas esse, ac proinde etiam in quem finem cogitationes dirigantur: ipsarum tamen cogitationes secundum suam substantiam, quatenus sunt operationes intellectus, non esse occultas alteri Angelo.

Communem sententiam alia ratione confirmat Gregorius.

Demum Gregorius questione citata, ut communem sententiam cum Sancto Thoma & aliis tueatur, simulque eam confirmet, notat, ad hoc, ut aliquod sensibile sentiantur, non satis esse illud secundum se sensibile sit, & potentia sensus sit in aliquo, sed præterea necesse est, sensibile possum esse in debita distantia secundum locum, iuxta naturam cuiuscunque facultatis sentientis. Eodem pacto inquit ille, ut res aliqua ad intellectum etiam angelico cognoscatur, propria notitia, quam vocant intuitum, non satis est esse secundum se intelligibilem, & esse facultatem intellectus ex se impotentem intelligere: sed necesse est, certe quodam modo se habere ad intellectum, ut proprio & intuitiuo conceptu cognoscatur. Quod si impossibile est, tali modo se habere: impossibile erit proprio conceptu & intuitiuo secretum cordis alterius cognosci. Quare, ut cognitio seu effectus alterius sicuti est & proprio conceptu ab Angelo cognoscatur, non satis est ex se esse de genere intelligibilem, & facultatem intellectus esse potentem ad genus rei intelligibilem: sed necesse est habere peculiarem quendam modum requiritum, ut certa & intuitiva notitia cognoscatur: hic autem modus est, inquit Gregorius, esse in subiecto in illo intellectu, à quo debet intelligi, & intuitiuo cognosci: & quia secretum cordis rati Angeli non inhaeret intellectui alterius, non potest ab alio intuitiuo cognosci, quare ab eo in quo est. Ceterum ne videatur hæc ratio sine fundamento assignata, confirmat hoc exemplum: nam si Angelus esset simul cum anima rationali, & in eodem corpore hominis se penetrarent, vel anima cum anima, eo quod duo homines etiam se mutuo penetrarent: nihilominus anima non intelligeret secretum cordis Angeli, nec vna anima

secretum alterius quod intumuit propinquum esse secundum locum, non alia ratione, nisi quia secretum unius non est in alio: ergo necessaria conditio est ad hoc, ut intelligatur secretum cordis, esse ut in subiecto in eo, à quo debet intelligi. Ex quibus constat, ita Gregorium amplecti communem sententiam, ut alia ratione, quam S. Thomas eam confirmet.

Verum Gregorij ratio firmum fundamentum non habet. Nam quamvis ut facultas sentiens operetur, non sufficiat virtus naturae ipsius, & natura obiecti proprii, sed necessarius sit aliquis modus, nempe propinquitatis: hinc tamen non recte colligitur, modum necessarium ad hoc, ut cognoscatur secretum cordis, esse, quem assignavit Gregorius. Primum quidem in visu, & in aliis facultatibus, & sensibus externis requiritur loci propinquitas, ea tamen ratione, ut sensibile speciem suam in potentiam immitat: ea vero semel in facultate recepta propinquitatis loci necessaria non est ut supra disputatione 207. cap. 3. probavimus. Sed quamvis necessaria esset, tantum requireretur ut operatio sensus aliquo modo terminaretur. Deinde cum addit Gregorius, modum necessarium, ut secretum cordis cognoscatur, esse, existere in eo, à quo debet intelligi: vel ipse id assumit in sua ratione, vel ex doctrina illa priori colligit. Si assumit, friuola sit eius ratio, eo quod in ea assumit id, quod colligere debebat: tota enim controuersia in hoc est, an cognoscatur vnus Angelus secretum cordis non sui, sed quod in alio Angelo aut homine est. Cum igitur assumit Gregorius hoc modo, ut cognoscatur secretum cordis, oportet, ut sit in eo, à quo debet cognosci, contradictoriam opposita opinionis assumit. Postremo id, quod adducit in confirmationem de anima, quae simul cum alia anima aut Angelo esset, nullius momenti est. Ideo enim anima nostra dum est in corpore, non intelligeret aliam animam, aut Angelum, cum qua simul esset, quia quando in corpore est, indiget speciebus per sensus acquisitis. Et quia secretum cordis alterius animae aut Angeli non immitteret sui ipsius species in sensus, etiam si alia anima loco propinqua esset, ut patet ideo non cognoscatur secretum illius. Idemque de secreto Angeli existentis simul cum anima in eodem corpore, & ob eandem rationem dicendum est. Distantia vero, vel propinquitatis loci, ut intelligatur, vel lateat secretum cordis, vel alia res, nihil omnino conferre potest: imo vero in se ipsi intellectui tanquam subiecto, nihil interest: siquidem intellectus noster habens habitus, & species ipsas, non intelligit proprio conceptu, sed per discursum ex sensibilibus: ergo quauis secretum Angeli in intellectu animae nostrae poneretur, nihilominus illud non intelligeretur certo & proprio conceptu. Exemplum igitur Gregorij nihil roboris habet.

Quod si aliquis sequatur sententiam Durandi, qui putat, nostrum intellectum, & Angelicam nihil cognoscere per species, sed proxime per se ipsum: saltem negare non potest, animam nostram indigere operatione sensus, ut aliquid intelligat: cumque secretum cordis Angelici aut humani nequeat à nobis sensu percipi, etiam si loco propinquum sit: fieri non poterit, ut intellectu cognoscatur. Concedimus itaque Gregorio, ut res quae intelligibilis est, cognoscatur, necessarium

Vasquez in 1. p. tom. 2.

esse existere in eo, à quo debet cognosci, quia secretum cordis à nullo alio, quam ab eo, cuius est, sciri potest: id enim Scriptura & Patres docent. Ceterum ratio Gregorij ad hoc probandum nullius momenti est.

CAPUT X.

Iudicium auctoris in praesenti controuersia.

MEa quidem in hac re sententia est, nihil ratione philosophica efficaciter posse probari: id quod haecenus aliqua ex parte monstratum est: nulla enim ex rationibus allatis sufficienter ostendit, secretum cordis vnus Angeli, aut hominis ab alio non posse cognosci. Nec mirum est: cum enim natura intellectus Angeli non sit nobis satis perspecta, vix intelligere possumus, quid valeat virtute sua cognoscere, nisi ex Patribus, & Scriptura id deducamus: quare sola ratione naturali ducti plene intelligere non valeamus, quarum rerum debeantur illi species naturaliter & quarum non habeat. Nihilominus cum nobis constet: ex Patribus, & Scriptura, secreta cordium nostrorum ab Angelis non cognosci, non est dicendum cum Soto, haec secreta natura sua nota esse cuicumque Angelo & à Deo solo impediri, ne cognoscantur, ut cap. 2. probatum est. Quo circa ex sola Scriptura, & Patrum doctrina nobis constat secretum cordis humani non esse intra latitudinem obiecti naturalis intelligibilis ab Angelo. Ex quibus ad rationem Scoti, & aliorum, qui contendunt, suapte natura tale secretum ab Angelo cognosci posse, facile responderetur. Dicimus enim, etiam si sint ordinis naturalis, & creati, non supernaturalis: ideo ab Angelo non percipi, quia non omne creatum est obiectum naturale intellectus Angelici ut supra etiam de futuris dicebamus. Quod quamvis ratione naturali non constet, ex doctrina tamen Patrum, & Scripturae, adiuncta optima ratione, quam capite 2. confecimus, fateri cogimur. Superest tamen, ut seq. disput. explicemus, quid nomine secreta vel cognitionem cordis intelligamus.

42. Nihil in hac re potest ratio philosophica conueniri.

Constat tamen nobis ex scriptura

43.

DISPUT. CCX.

Quid sit cogitatio, aut secretum cordis, quod Angelus suapte natura scire non valet.

Opinio Gregorij Arimin. cap. 1.

Non eodem modo de affectibus, & de cogitationibus sentiendum, probabile nonnulli existimant, c. 2.

Oppositiones contra praedictam sententiam, c. 3.

CAPUT I.

Opinio Gregorij Arimin.

EX hac controuersia pendet tum superioris plena intelligentia, tum etiam perfecta notitia locutionis, qua Angeli sibi mutuo secreta cordis sui aperiant. De qua re Scholastici non multum differuerunt. Est igitur praesens controuersia, quid per secretum cordis hominis, aut Angeli debeat intelligi. Doctores citati in praecedenti disputatione pro communi sententia, videntur intelligere per secretum cordis cogitationes intellectus, & affectus voluntatis. De cogitationibus autem sensus interioris non loquuntur.

Y y 3

tur.